



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

B. Henricus Conf. 13. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

170 VITÆ SANCTORUM. 13. Mart.  
Senatorii Principi viro desponderat, ju-  
bebat nunc in ejus manus venire EU-  
PHRASIAM. Sed pulchrè illa se jam in  
alterius manus venisse rescripsit, nec ex  
re suâ, nec verò ex familiæ dignitate fore,  
immortali sponso mortalem antepone-  
re. Itaque jam liberè amoris suo vacans,  
sub dio cibi sui que aliquando in trigesi-  
mum diem, sapius in septimum oblita,  
ab inferno rivali in puteum præceps acta,  
ferventi perfusa, aliaque perpeffa, cum  
fatis jam Sponso se probasset, ad nuptias  
est evocata. Illas splendidissimè ador-  
nari vidit in cælo, quæ Asceterio Magi-  
stra præerat, eo que abductam EUPHRA-  
SIAM à Sponsi Matre corollâ nuptiali,  
& dote in singulas virtutes donari. Quis  
jam dubitet pulchram EUPHRASIAM fuisse,  
quam tanto studio matrum longè  
pulcherrima multò pulcherrimo filio  
conciliabat? Ex Surio.

*Vide quibus brachiis vicariæ chari-  
tatis redamandus & amplectendus sit,  
qui tanti estimavit, imò qui tanti te  
fecit: De latere enim suo te reformavit,  
quando propter te obdormivit in Cruce, &  
somnia mortis excepit. S. Bern. serm. 2.  
de Mut. aquæ in Vin.*

B. HENRICUS CONF. 13. Martij.

**N**on abluit indoles HENRICI à stir-  
pe suâ. Regius puer mammæ & ma-  
tris.

13. Mart. VITÆ SANCTORUM. 171  
tris, & mundi lallare generosus recusa-  
vit, & ad magni Francisci ubera, vulnera,  
animum appulit. Interea parente mortuo  
Daniae Rege, viduum regni sceptrum &  
corona caput HENRICI & manum ipsa  
ambiebat, ingerebant hæc regni proceres,  
sponsa invitabat, & denique mater im-  
pellebat. Per tot tamen obstacula eva-  
dit HENRICUS in solitudinis, suus-  
que ipse Rex sibi imperat. Sed honor,  
quo nemo alius fugitivos citius prehen-  
dit. HENRICUM quoque in suis late-  
bris invenit, gemmeisque vinculis liga-  
tum cum publicâ regni lætitiâ ad solium  
reducit. At mater, (quis credat?) illa ma-  
ter, quæ nuper amore filium deperibat, in  
novercam ecce abit, & sive quòd impe-  
randi dulcedine capta, socium regni nec  
filium veller sive quòd filii vultum jam  
minimè *Henricus* præ se ferret (austera vi-  
vendi ratio deformârat) in rogam hunc  
conjicit. Induit tamen, quam mater  
exuit, ignis pietatem, & incolumem red-  
didit, pulchrius inter flammam quàm pur-  
puram splendens. Minus verò jam fi-  
dendum regno videns, in Italiam religio-  
nis causâ contendit, sed mors aliò ex iti-  
nere abduxit. In cælum ubi venit, hoc  
denique ei regnum placuit. *Ex Fer-  
rar.*

*Descendamus per viam humilitatis,  
ponaturque nobis primus gradus ejus,  
id*

172 VITÆ SANCTORUM. 14. Mart.  
id est primus profectus, Nolle dominari:  
secundus, Velle subijci: Tertius, in ipsa  
subjectione quaslibet contumelias & inju-  
rias illatas equanimiter Pati. S. Bern. in  
sent.

S. PETRUS ABBAS. 14. Martij.

QUàm Alites beati familiares PE-  
TRO, & PETRUS vicissim illis  
fuerit, ex iis quæ narrabimus, perspicies.  
Tyro in religiosâ Clara Vallis disciplinâ  
cum esset, obdormiscentis inter preces  
Matutinas latus vellicavit Ales unus ali-  
quis ex illis, de quibus diximus, grâ-  
tissimus PETRO monitor. Aliàs cum  
avocante capitis dolore è fociis abitum è  
templo pararet, illa repentè verba à Cæli  
choraulis cani audivit: *Laudans invocabo*  
DEUM, atque his voculis delinitus, fa-  
cilè dolorum oblitus est, perrexitque et-  
jam ipse cœptas preces decantate, etsi  
inter olores illos non malè anserem se  
putaret. Illud amœnissimùm spectacu-  
lum oculis PETRI accidit, videre, cum  
messis tempore labori cum suis intentus  
esset, Virginum Reginam MARIAM ge-  
minâ alterâ Mariâ (è Solymis altera,  
altera ex Ægypto erat) per segetes ambu-  
lare, fociisque & laborantibus solamen  
addere, & fatigatis sudorem abstergere  
illâ manu, quâ, cum lubet, nubes ab-  
stergit, & celum serenat. Certè tanti esse  
PETRUS